



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Missæ sacrificio quam sit deuotè reuere[n]terq[ue] seruiendum: vti
quotidie communica[n]dum ad minus spiritualiter. Cap. LII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

aut si charioribus id amicis suis in hoc mundo reliquerit: Si ita non inuenieris, alienum tibi sit & peregrinum. Aliquem sanctum virum tibi propone, quem imiteris, & secundum ipsum vitam tuam ordina. Ecce proposuisti tibi illum virum, Deo dilectum, qui in triplici meditatione, sicut legisti, seipsum exercuit. Fac tu similiter quia fructus multus est in meditationibus huiusmodi. Item sanctum Bernardum, quem totus mundus non potuit erigere, quantum ipse superum solebat deprimere. Magis autem sicut dudum proposuisti, beatissimam imitare Magdalenam, ut continue vacationi sancta studeas in exercitio contritionis, & diuini amoris. Super omnia autem vitam Domini nostri Iesu Christi,

Precatio pro
perfecta imi-
tatione Iesu
& Mariæ.

Rom. 5.

& beatissimæ virginis Mariæ matris eius. Dic igitur. *O pijsima mater misericordis, impetra mihi & dona, ut vitam filij tui, & tuam, vel alicuius perfecti sancti, ego miserissimus peccator pro modulo aliquo possim imitari: quia tanto plus deberem tui & filio tuo placere, quanto gratius & plus omnibus offendi. Ah superabundet ô pijsima mater, filij tui gratia in me, in quo superabundauit iniquitas.*

*Missæ sacrificio quàm sit deuotè reueter què seruiendum:
vti quotidie communicandum
aû minus spiri-
tuallyter.*

CAPVT LIJ.

Missæ mini-
strare quàm
sit subtile
officium.

Communi-
o spiritualis
nunquam
mittenda.

AD seruiendum Missis, toties in die paratissimum cum desiderio te offeras, quoties potueris: non tamen te ingeras, sed Deo hoc committe, qui si ei placuerit, ut ministres curabit. Neque enim longè distant celebrare & ministrare, seu seruire. Sacerdos enim ipse aliud non agit quàm ministrare Christi. (Nihil enim sua virtute aut nomine agit, sed personam Christi exprimens, cuncta agit.) Cui proxime accedit in hoc officio is qui eidem in Christi nomine seruire habet. Quapropter ad Missam ministrare, post sacrosanctum sacrificium seu celebrandi officium, proximum atque maximè Christo vicinum est ministerium. Quando non celebras, nihilo minus ad spiritaliter manducandum & offerendam Dominum, te per gratiam misericordissimi Iesu propepara, & in cella vnum officium Missæ nudum, deuotione qua potes exolve, aut aliud exercitium quoduis pium, ut sic Deus misericordissimus tibi alijsque fidelibus id largiatur, quod præbet digne celebranti. Dominus dixit ad quandam sanctam virginem, maximè sibi placere in homine mundiciam cordis, & opera vere charitatis. Quando non celebras, nihilominus peccata tua quotidie confitear (Domino adiuuante) propter fructum & gratiam sacramenti, id est, quæ datur in sacramento confessionis.

(:)